

B. N. II 128.
h. 32, 3.

II R
3470

DISPUTATIO JURIS PUBLICI
DE

**PROCESSU
AUSTREGARUM,**

QUAM
DIVINA AUXILIANTE GRATIA,
AUCTORITATE
MAGNIFICI FCTORUM ORDINIS

IN
CELEBERRIMA VIADRINA,
PRÆSIDE

DN. SAMUELE STRYKIO,

J. U. D. ET INSTIT. IMPER. PROF. ORDIN.
DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO ÆTATEM
DEVENERANDO,

IN AUDITORIO FCTORUM

A. S. clō Ibc LXIX. VII. CALEND. JULII,
HORIS SOLITIS

PUBLICI EXERCITII CAUSA VENTILANDAM
EXHIBET

BENEDICTUS HEIDEMANN,
COLBERGA POMERAN.

Cum Privilegio Sereniss. Elect. Saxon.

V. I. D. XIII.

Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta / M. DC. LXXIX.

(X 188 0703)







(3.) 50

D E
PROCESSU AUSTREGARUM.

S U M M A R I A.

1. *Introitus.*
2. *Scopus Disputationis.*
3. *An consultum sit Reip. nostra Processui Austregar. causas Principum Imperii committere? Aff.*
4. *Judices Austregarum ausint ordinarii, an delegati? ubi adducuntur rationes quod sint delegati?*
5. *Quod sint ordinarii, ratio 1.*
6. *Ratio 2.*
7. *Respondetur adversariis.*
8. *Modus constituendi iudices Austregarum I.*
9. *Modus II.*
10. *Modus III. ejusque octuplex divisio.*
11. *An Imperator possit iudex Austregarum constitui?*
12. *Princeps à Nobili vel privato conventus an teneatur strictè servare O. C. in denominando iudice?*
13. *An subditus Principem convenire volens, viam Austregarum pro lubitu possit eligere? Aff.*
14. *Milliaria quomodo computanda?*
15. *Modus procedendi coram iudicibus Austregarum.*
16. *An reconventio in hoc processu admittenda?*
17. *Non in omni casu reconventio locum habet in processu Austregarum.*
18. *Casus excepti proponuntur.*
19. *Quod in prima via reconventio locum habeat, probatur contra Blumium.*
20. *Respondetur Sichardo dissentienti.*
21. *An Mediatum Imperii Civis contra Principem immediatum coram Austregis agens, ibi reconveniri possit?*
22. *Reconventio toties obtinet, quoties qualitas cause non repugnat.*
23. *An reconventio in Processu Austregarum fieri possit in causis feudilibus regalem dignitatem annexam habentibus?*
24. *Negatur, & respondetur Mylero dissentienti.*
25. *An prorogatio in Processu Austregarum admittenda?*



- | | |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>26. Prorogatio non in omnibus causis fieri debet.</p> <p>27. Quo tempore processus Austregarum finiendus?</p> <p>28. A quo tempore annus computandus?</p> <p>29. Quomodo coram Austregis contra contumaces procedatur.</p> <p>30. De sumtibus in Processum Austregarum impendendis, an hos utraque pars ferre debeat, an vero solus reus;</p> <p>31. De sumtibus in Judices impendendis.</p> <p>32. De sumtibus Austregarum Con-</p> | <p>ventionalium.</p> <p>33. Quomodo sententia in Processu Austreg. ferenda?</p> <p>34. A sententia hac licet appellare.</p> <p>35. Quid in Processu Appellationis observandum?</p> <p>36. Quorsum ab Austregis Conventionalibus appellandum?</p> <p>37. Judices Austregarum sententiam suam ipsi exequuntur.</p> <p>38. 39. Respondetur Blumio dissentienti, l.</p> <p>40. Imperator causas Austreg. avocare non potest.</p> |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

Iudiciis instructam esse Rempubl. haut exiguam meretur laudem: Attamen justa procedendi forma illa si privaveris, parum vel laudis restabit vel utilitatis. Finis enim judiciorum institutorum est litium finis, atqui hunc obtinebis nunquam, si minus legitime in judiciis fuerit processum. Ordinem ut reliqua omnia efflagitant, ita in judiciis ille integrum absolvit punctum; Sic enim partium neutra gravabitur, dum auctori facultas jus suum prosequendi concessa, Reo vero se defendendi ansa non denegata. Tumultuarii enim Processus in Anglia quam maxime conspicui, vix applausum merebuntur, quamvis in favorem Nationis suæ eosdem extollat *Thom. Schmitus de Republ. Anglor. lib. 2. c. 12. & c. 18.* Supervacuis quidem non oneranda judicia, nec iisdem detinendus Judex: fatius tamen est hæc dici, quam non dici necessaria. Præterea an sint supervacua, nisi quum audieris, scire non possis. *Plinius lib. 6. Epist. 2.* Quod advertit quoque *Eleutherus Papa in c. 11. Causs. 30. q. 5.* dum dicit: Judicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere. Non tamen hac ratione tot dilationes in judiciis etiam causa non cognita sæpius dari solitas, approbamus, sed quod ad causæ justitiam inquirendam facere ulla ratione potest, hoc minime negligendum existimamus; Et hoc est quod sub compendiosa litis decisione intellectum voluit *Zeno Imper. in L. omnes 12. C. de judic.* Quod

Quod si in judiciis aliis legitimus procedendi modus adeo necessarius, in Austregarum quoque Foro, ille minimè negligendus. Hic enim ut lites ventilari solent graviores, ita accuratiori inquisitione opus omninò est. Accuratum verò sine ordine vix dabitur. Lustrabimus itaque præsentis disputatione ea, quæ ad Processum in Foro Austregarum institui solitum spectare videbantur. Et ne nimium à nobis expectes Benevole Lector, monendus eris, de tribus potissimum membris nos sollicitos in hoc Exercitio extituros. I. De iudicium in Processu Austregarum adhibendorum qualitate, solemnique eosdem constituendi modo pro diversitate Statuum variante. II. De illis quæ ad cursum Processus Austregarum spectare videbantur. III. De sententia in Foro Austregarum lata de appellatione, & Sententiæ Executione.

Cæterum ne inutile thema Disputationi selegisse videamur; paucis, An consultum sit Reipubl. nostræ Processui Austregarum causas Principum Imperii committere? præmittendum: Ansam de eo dubitandi suppeditat nobis *Severinus de Monzambano Libr. de Stat. Imper. German. cap. 5. §. 19.* cuius verba huc referre lubet: *Comitantur Austregas hæc incommoda, quod ab illis provocari queat ad Cameram & iudicium Aulicum, adeoque pauca lites ibi finiuntur; quodque multi sumptus requirantur dum muneribus demulcendi lateque tractandi Commissarii Principum Arbitrorum. Accedit quod semestre aut annum spatium sit præfinitum iudicio Austregarum intra quod litem majoris momenti finire portentum in Germania foret.* Sed ut alioqui in iudicando facilis est præfatus Autor ita ut querelas aliorum tectis nominibus, suas quasi novas & ab aliis nondum animadversas, ita in præsentis quoque materia idem observavit. Iisdem enim verbis jam antea has contra Processum Austregarum dederat instantias *Dn. Conring. Dissert. de iudic. Imper. Rom. thes. 62.* cuius ferè omnia verba à Monzambano hic re-tenta, non laudato Conringio. Et similia quoque refert *Limn. Tom. V. addit. ad lib. 9. Jur. publ. p. m. 440.* Verùm non sufficiunt illa, quæ pro eliminando hoc iudicio adduxit. Primum enim quod urget, appellationem ab Austregis esse permissam, in causam Austregarum inductivam directo impingit; Hac intentione enim hoc privilegia-tum Forum constitutum, ut à sententia hic lata ad Cameram appel-lare liceret, & ne Princeps totius causæ periculum uni deciso submit-tere tenerentur, sed ut hi quoque diversarum instantiarum commo-

do fruerentur. Deinde si ratiocinium istud exceptione majus esset, judicia omnia inferiora è Republ. eliminanda esse, inferri sine vitio posset, cum & ab his appellari possit, quod à tamen sine absurditate asserere non liceret. Sumptuum magnitudinem ex donis & muneribus à litigantibus aliquando oblatis, generaliter dijudicare velle, nec rationi convenit, nec Legi. Vitia litigantium à re ipsa merito separationi convenit, nec Legi. Tempus brevius ad Austregarum Processum impendi solitum litium finitioni non erit impedimento; Judices Austregarum in unica lite occupati facilius feliciusque in causæ mysteria inquirent: Quod si nec ita tempus suffecerit, hoc ex observantia prorogare licebit, nam & ultra annum causas coram Austregis ventilatas fuisse exempla testantur. Cæterum & causas gravissimas intra anni spatium, præsertim in Foro Austregarum terminari posse, nec portentum in Germania est, nec in jure inauditum: Potius mora omnis partibus legitimo tempore jura sua non proponentibus hic imputanda.

4 Sed ad rem. Judicum in Processu Austregarum adhiberi solitorum qualitatem lustrabimus primò, post modum constituendi subiecturi. Circa illam statim se offert controversa quæstio: An judices Austregarum sint ordinarii an delegati? In qua quæstione mira Dd. pugna est, adeo ut quamcunque sententiam elegeris, semper, quæ in suspensio relinquunt animum, reperies. Et id eò magis, cum variis quæstionibus circa Processum Austregarum moveri solitis inde contingat præjudicium. Opinio communius recepta ac defensa à Gail. lib. 1. O. 1. num. 52. Matth. Stephan. de Jurisd. lib. 2. P. 1. c. 3. membr. 3. n. 44. Reinking. de Regim. secul. & Eccles. lib. 2. class. 2. c. 16. num. 20. Leipold. de concurrent. Jurisd. apud Arum. de I. P. vol. 1. Discurs. 13. Q. 15. Paurmeist. de Jurisd. lib. 2. c. 4. num. 136. videlicet judices Austregarum non ordinariam, sed delegatam habere jurisdictionem. Pro qua sententia comprobanda rationibus hisce utuntur communiter (1.) Quia judices Austregarum tantum particularium litium cognitionem habent, singularitas autem causarum nota est delegatæ Jurisdictionis. Stephan. d. l. num. 47. (2.) Quia non ipso jure judices sunt, sed demum per electionem. (3.) Quia Principes electi in judices Austregarum plerumque consiliariis negotium committunt expediendum; Ab horum verò sententia non ad Cameram, sed ad Principes electos fore appellandum, si ordinarii essent. (4.) Nec si ordinarii essent re-

pu-

pudiari possent, quod quamvis jure civili non adeo expressè decisum, communiter tamen hoc approbatum. *Gail. lib. 1. O. 33. num. 1. Mynsing. Cent. 2. Obs. 52.* Pro quo facit 5. quod in O. C. expressè Commissarii Imperatoris appellentur & ex ipsius mandato litem suscipere dicantur als Kayserslicher Commissarius in Krafft der Commission die wir als Römischer König hiemit einen jeden gethan haben wollen. *O. C. P. 2. t. 2. §. darauff.*

Displicet tamen opinio hæc aliis, qui ordinariam jurisdictionem §
judicibus Austregarum adscribere non dubitant, inter quos est *Ilic. Umm. de Process. Diss. 4. th. 8. n. 41. Schubhard. de Austreg. th. 6. lit. a. Joh. Limn. de I. P. lib. 9. c. 5. n. 44. Jac. Blum. Process. Cam. tit. 27. n. 12. Rumelin. ad A. B. P. 2. dissert. 1. Coroll. 6.* qui ipsi rationibus haud contemnendis moventur. 1. quia jurisdictio Austregarum à Lege seu publica imperii constitutione defertur. Hoc modo autem delata jurisdictio pro ordinaria utique reputanda, uti Dd. communiter colligunt *ex l. 6. ff. de jurisd.* Et quamvis in eadem lege manifesta insinuetur distinctio: inter jurisdictionem Lege delatam, & lege confirmatam, quod illa quidem ordinaria sit, non verò hæc; ut per consequens Austregarum jurisdictio, utpote Lege tantum confirmata, pro delegata sit reputanda. Sed vix hoc admittendum quod in Austregis jurisdictio delata tantum confirmetur per Ord. Cam. Confirmatio enim omnis existentiam rei confirmandæ prærequirit, quæ hic deficit; nulla enim delatio hic adfuit ante publicam Imperii Legem, eadem verò lege jurisdictionem deferri & confirmari, vix invicem quadraret. Nec facit quicquam quod Commissarius Imperatoris Judex Austregarum vocetur: A nomine enim imbelles deducitur argumentum, & Commissarii vocabulum latissimum esse, abundè probat *Rutger. Ruland. de Commissar. part. 1. lib. 1. c. 2. num. 7.* Et si propriè Commissarii vox intelligenda foret, sine dubio morte Imperatoris extingueretur commissio *ob d. l. 6. ff. de jurisd.* quod tamen in Processu Austregarum obtinet minimè, ut rectè advertit *Jac. Blum. d. 1. 27. n. 13.* Unde statim quinta ratio pro contraria opinione proposita corrui. Hoc tamen non negaverim in quarta via de qua in thes. 10. dicendum, Commissarium talem ab Imperatore immediatè constitutum pro judice delegato habendum, hic enim obtinet ratio *l. 6. ff. de jurisd.* sicut & hoc casu speciali Commissionem Cæsarea opus est; quod in aliis casibus tamen necessarium non est.

6 Secunda ratio pro ordinaria Austregarum jurisdictione à Limnæo *d. c. 5. num. 45.* hæc affertur: Quia Principes judices electi plerumque causam suis mandant consiliariis, quod fieri non posset, nisi ordinaria illis competeret jurisdictione *l. 5. ff. de jurisd.* Sed in hac ratione quoad consequentiæ nexum merito quid desiderari posset; Nam non statim sequitur: Hic aliis delegare potest jurisdictionem, Ergo ipse est ordinarius. Nam delegati Principis, quorum adversæ opinionis affectu judices Austregarum referunt, sine dubio facultatem subdelegandi habent, per *l. 5. C. de judic. c. 27. §. si vero X. de offic. jud. delegat. Zafius ad tit. ff. de jurisd. n. 47. Hillig. in Donell. lib. 17. c. 8. lit. m.* Quod tamen præfatæ rationi annectit Limnæus, scilicet quod provocatio à Consiliariis non ad Dominos mandantes, sed ad Cameram fiat, hoc magis stringit. Expediti enim juris est, quod à sententia subdelegati Principis, non ad Principem ipsum, sed ad subdelegantem, sit appellandum per *l. un. C. qui pro sua jurisd.* Alia vero ratio est, si ordinarius judex delegaverit, ubi non ad judicem delegantem, sed delegandis superiorem appellandum *l. 1. §. 1. ff. quis & à quo appell.* Hoc autem in judicio Austregarum contingit, ubi etiam si Principes electi consiliariis suis negotium demandaverint, attamen non ad eos, sed Cameram appellatur *O. C. P. 2. r. 6.* Unde merito infertur, Ergo judices Austregarum sunt Ordinarii.

7 Apparet vero ex jam dictis manifestò falsam esse Dissidentium rationem tertiam, quasi judices Austregarum propterea forent delegati, quia à Consiliariis ad ipsos Principes esset appellandum, si ordinarii judices essent. Contrarium enim ex textibus allegatis probatu facile est, quod non ad ordinarium, sed ordinarii superiorem à delegato appellandum, & sic commodè sententia hæc cum Ordinatione Camerali conspiret. Alias rationes pro evincenda ordinaria jurisdictione, in præsens non adducam, cum ex præcedentibus dependant, & à Dd. allegatis in *Posit. 5.* ordine videri possint. Nec in contrariis refellendis operosus ero, quippe cum præter ea quæ jam in medium adducta per instantiam à jurisdictione Revisorum & Parium Curie desumptam, ea facile tollantur; quæ verò de repudiatione opposita, illa tam jure Canonico, quam observantia moderna facile refutantur. Conferatur interim contrariis argumentis solidè respondens *Jacob. Blum. Process. Cam. tit. 27. n. 15.*

Jam

Jam ad modum judices Austregarum constituendi transeun-
 dum. Cum verò ob diversitatem Ordinum foro Austregarum gau-
 dentium vix certa Regula formari possit; ordine Ordines lustrandi
 erunt. Et primo quidem si principes & Electores inter se litem ha-
 beant *in Ord. Cam. P. 2. r. 2.* hic Processus constituendi judicem deter-
 minatus. Princeps actor, reo jus suum & postulata in scriptis expo-
 nere, & hunc, ut sibi de super justitia administretur, interpellare de-
 bet. Hâc interpellatione factâ, Princeps vel Elector conventus intra
 quatuor septimanas ab interpellatione computandas, quatuor Prin-
 cipes regentes, duos Ecclesiasticos, duos Seculares, non ejusdem, sed
 diversarum Familiarum nòminare debet. Ex his quatuor Principibus
 unum Actor eligit, & huic intra quatuor alias septimanas denunciât,
 postea intra 14. dies tam actor quam Reus Principem in judicem ele-
 ctum literis compellant, ut cognitionem causæ suscipiat & partes ci-
 tet, quod Princeps Electus facere tenetur vigore *Ord. Cam. d. t. 2.*

Deinde vero si Electores Principes & principali dignitate ful-
 gentes alios inferioris dignitatis Ordines, ori tamen Austregarum,
 compotes, in jus vocare velint, vel Commissarium æqualis cum acto-
 re dignitatis petere possunt, modo hic ultra 12. milliariâ à reo conven-
 to non absit. Vel Reus tres Electores vel Principes nominare pote-
 rit, ultra 12. milliaria ab actore non remotos, ex quibus actor unum
 eligere debebit *O. C. p. 2. r. 3.* Pari modo Judex constituendus, quoties
 Prælati, Comites, Barones & Nobiles immediati seipso convenire
 velint, ubi itidem duplex illa via jam recensita locum habet. *O. C.*
P. 2. r. 5.

Tertiò si Principes & principali dignitate fulgentes convenian-
 tur à Comitibus & Baronibus; modus judicem constituendi octu-
 plex est, fusius descriptus in *O. C. P. 2. c. 4.* quos modos breviter tan-
 tum videbimus. 1. Princeps conventus novem consiliarios, quinque;
 Nobiles, quatuor Jurisperitos, constituere debet, ex quibus novem
 Consiliariis Princeps conventus (undè malè contra expressũ textum
O. C. facultatem eligendi Judicem ex his novem Consiliariis Actori
 tribuit *Roding. Pandect. Cameral. lib. 1. tit. 4. c. 3. p. m. 35.*) unum in judicem
 eligit, coram quo reliqui octo præstant juramentum; Et ipse judex
 Electus iterũ coram seniore ex his octo jurabit, se in causa proposita
 rectè & secundum partis utriusque jura deducta judicaturos; Ut verò
 omnis suspicio partialitatis, uti loquuntur, absit, juramenti vincu-
 lum

lum quo Principi suo obstricti, prius relaxandum. 2. Si coram tot Consiliariis auctori litigare displicuerit, septem vel quinque ex his eligere, ac litem præfato modo finire licebit. 3. Princeps conventus Principes tres alios, nulli partium necessitudine junctos nominare debet, ex quibus auctor judicem eligat, ad ductum *O.C.P. 2. 1. 3.* 4. Auctor Commissarium ex Prælatorum vel Comitum Ordine ab Imperatore, aut eo absente, à Rege Romanorum impetrare potest. 5. Auctor novem viros egregios nominabit, ex quibus Reus duos eliget; Reus verò novem ex suis Consiliariis nominabit, ex quibus Auctor tres seliget. 6. Auctor duos viros egregios & suspicione vacuos eliget: Reus verò ex suis Consiliariis itidem duos eligere poterit, quo hi causam invicem cognoscant, quibus inter se dissentientibus Imperator Præfidem constituere debet, qui pro religione sua ac conscientia judicabit. 7. Auctor ex omnibus rei Consiliariis quinque, vel si tot non habeat ex Vasallorum & Officialium numero tot eligere debet; salvâ tamen Reo exemptione aliquorum, quorum opera in causæ prosecutione uti possit. 8. Modus hic nihil novi continet, sed cum primo planè coincidit. Processus verò ratio in dicto octavo modo in Ordin. Cam. tantum describitur, de quo postea. Ex his verò octo viis, ut vocant, tertia & quarta in Praxi quam maximè sunt frequentatæ, sc. ut vel tres Principes eligantur, vel etiam Commissarius ab Imperatore petatur. *membr. 3. Matth. Steph. de Jurisd. l. 2. P. 1. c. 3. n. 39. Joh. Limn. de J. P. l. 9. c. 5. n. 26. Schwanman. l. 1. de Process. c. 3. n. ult. Jac. Blum. Proc. Cam. 1. 27. n. 142.*

II

Ita ergo modum procedendi in constitutione judicis Austregarum ad ductum Ordinat. Cameralis vidimus breviter. Antequam verò Processum ipsum lustremus dubia quædam ex præfatis oriunda primum tangenda. Hinc quæritur, an inter Principes quatuor juxta Posit. 8. nominandos, etiam ipse Imperator nominari possit? Duplex respectus in ipso Imperatore separandus: Aut enim consideratur qua Imperator, aut qua Princeps Imperii, seu qua certas ditiones & Provincias Imperii possidet. Priori casu qua Imperator judex Austregarum esse non potest: Hic enim si sententiam tulisset, appellatio ad Cameram locum habere non posset, cum ab Imperatore ad Cameram appellare non liceat & Processus propterea in Camera denegatos fuisse præjudicio adducto probat *Reinking. de Regim. Secul. & Eccl. l. 1. Class. 5. c. 9. n. 46.* Hinc *jus Resortus* tribuitur Imperatori, id est summum imperium sine provocatione *Wilhelm. Becker synopsis. jur. Publ. 2. c. 4. n. 7.*

Cessa-

Cessaret ergo ratio inductiva Austregarum, scilicet ut pluribus instantiis Status Imperii gauderent & si in iudicio Austregarum se gravatos sentiant, ad Cameram recurrere possent. Altero vero respectu, si Imperator non ut Imperator, sed ut Princeps Imperii consideretur, utique iudex Austregarum constitui potest, teste *Schubhard. Diss. de Austreg. th. 4. lit. a. in fin.* Hic enim obstaculum antea propositum cessat; Quando enim Imperator non ut Imperator, sed tanquam Dux vel Comes sententiam tulisset, conceditur appellatio ad ordinarium appellationis iudicem. *Bartol. in L. 1. §. si quis. n. 15. ff. de appell. quod in genere ad Reges applicat Sigismund. Scaccia Tr. de appellat. Quest. 16. lim. 5. n. 1.* Quod verò ita sub duplici respectu considerari possit Imperator, abunde probat ipse Carolus V. qui scriptum ad Cameram imperialem, tanquam Archiducem Austriae citavit, hac formula: *Wir Carl/ &c. Römischer Kaysar/entbieten dir Carl Erzhertzogen zu Oesterreich. Gerlac. Buxtorff. Dissert. ad A. B. th. 64. in fin.* Et pari modo Imperatori in Comitibus ratione Ducatum & ditionum onera injunguntur, sed non qua Imperatori, sed tanquam Principi & Statui Imperii, ratione Ditionum quas ab imperio recognoscit. *Recess. imper. Noriberg. de Anno 1542. §. ferner Reinking. lib. 1. class. 2. c. 2. n. 166.*

Porro quo ad tertiam viam in Posit. X. descriptam, quaestio incidit; An si Princeps aliquis vel Elector à Nobili vel privato aliquo conveniatur, perinde teneatur viam illam tertiam observare, ac si ab alio Principe conveniatur? id est, an eidem tres Principes ultra duodecim milliaria ab actore non distitos, nec ex eadem domo & Familia ortos teneatur nominare? Quam quaestionem si ex O.C. decidere vellem, assererem etiam hoc casu illa requisita strictè esse observanda, in quantum tamen possibilitas hoc admitteret. Actoris commodo enim generaliter provisum in praefata via, non attento qualis ille sit. Nec ratio adest, quare quoad Actorem digniorem praecise spatium illud 12. milliarium sit observandum, non verò quoad alios, quasi verò cæteri per iudices distantiores electos gravari deberent. Quod per manifesta *Ord. Cam.* verba probatur facile est, dum in *P. 2. t. 4. §. fin.* expressè dicitur: *Und sollen solche Austräge zc. in aller massen wie die obgesetz/ auch mit Bürgern/ Bauren/ und andern Unterthanen gegen den Fürsten und Fürstmaßigen statt haben.* quibus verbis nulla ex octo viis excepta. Ergo omnes illæ etiam privatis Principes convenientibus concedendæ. licet hoc infringere conetur *Guilhelm. Roding. Pandect. Cam. 1. 1. tit. 4.*

6.3.p.38. Postmodum tamen Imperatori & S.R.I. Statibus diversum in hac quæstione placuit, potissima ratione inde desumpta, quod intra 12. milliaria non semper tres Principes iudices eligendi reperiantur, unde distantiam hanc ampliarunt, ut sufficiat modo hoc casu ultra 20. milliaria iudex nominatus non distet per *Recess. Deput. de Spir. A. 1600. §. und nachdem die Ungleichheit/ubi & reliquæ solennitates, sc. de Principib⁹ ex eadem familia non nominandis hoc casu limitatæ Add. Christoph. Schwanm. obs. pract. Cam. Imp. obs. 23. Blum. Proc. Cam. t. 27. n. 115.*

13

Eandem ferè decisionem meretur quæstio: An subditus, Principem suum convenire volens in foro Austregarum juxta *Ord. Cam. P. 2. t. 4.* electionem habeat, qua via velit uti: An verò Princeps subditum acturum compellere possit, ut coram suis Consiliariis litiget? Et verius est, ob verba ex *Ord. Cam. Posit. præced. adducta*, etiam subdito facultatem eligendi competere, nec Principem, hunc, ut coram Consiliariis actionem instituat, compellere posse *Pet. Frid. Mindan. de Process. lib. 1. c. 17. n. 9.* quæ ipsa sententia in iudicio contradictorio firmata fuit, sub hâc tamen limitatione, nisi Princeps conventus probaverit, sibi hoc jus ex consuetudine vel observantia competere, quod tali casu non alibi, quam coram suis consiliariis conveniri possit, & quod facultas aliud remedium eligendi subdito acturo non competat, præjudicium Camerale in hoc casu citat *Mynsing. cent. 5. obs. 1. n. 2. Schwanman. Obs. Cam. 17. n. 4. Roding. Pandect. Cam. l. 1. tit. 4. c. 3. in fin.* in quâ quæstione tamen sibi non constat *Gail. lib. 1. obs. 1. n. 19.*

14

Cæterum circa numerum milliarium in *Ord. Cam. præscriptum* adhuc dubitatio incidit, quomodo illa computanda vel mensuranda? Casus enim sæpi⁹ contingere possunt, ubi Princeps diversas habet Residentias, & mox in hâc, mox in illa commoratur: Et sic Princeps nominatus à prima Residentia, non ultra duodecim milliaria distat, à secunda verò ultra viginti; sed tamen verius est, modo ab una Residentia ultra duodecim milliaria non abfuerit; nominationem valere, quia nullo incommodo afficitur, dum æquè commodè tam in viciniore quàm remotiore Residentia interim, durante sc. lite commorari potest, imò vix terminus à quo, hujus distantia collocandus in Residentia Principis, sed potius in fine territorii, quod communiter receptum esse, testatur *Jac. Men. A. J. Q. lib. 2. cas. 206. n. 5.* ubi in fine addit iudicem in computatione milliarium non debere rationem habere viæ obliquæ sed viæ rectæ & solitæ. Sicut nec milliaria breviora Italica sc.

vel

vel Gallica hic intelliguntur, sed Germanica, de quibus indubiè sentit Imperator. *Blum. in Proc. Cam. tit. 27. n. 97.*

Haëtenus ergò de iudicibus Austregarum vidimus, jam ad modum coram his iudicibus procedendi transeundum; & quamvis ob diversitatem iudicum constitutorum, modus quoque procedendi diversus videatur: quia tamen potissima ad Processum spectantia in *Ord. Cam. P. 2. r. 4. §. sum achten* descripta, de his paucis videbimus. Et quidem locum Processus instituendi quod attinet, determinabit eum iudex electus, si ille Princeps fuerit in aliqua suarum civitatum *Ord. Cam. P. 2. r. 2. §. darauff.* Si verò coram Consiliariis Processus Austregarum ventilandus, in aula Principis conventi ille institui debet. *Ordin. Cam. P. 2. r. 4. pr.* Determinato loco citatio emittitur dato spatio unius mensis juxta *d. r. 4. pr.* Postea in scriptis procedendum, ita, ut cuius quatuor deductionibus sub intervallo quatuor septimanarum uti liceat, ita tamen ut in tertia deductione omnia sua jura ac exceptiones proponant, in quarta verò causam plenariè concludant & nihil novi proferant. Quod si tamen nihilominus novi aliquid in ultima deductione prolatum, hoc à iudice in pronunciando negligi debet. Si tempus quatuor septimanarum angustius fuerit productionibus inferendis, petenti parti spatium semimenstruum indulgeri potest. Quod si testes etiam examinandi, hoc Commissario ab utraque parte electo committendum: Vel si de eo convenire nequeant, uterque litigantiù scribæ suo prius tamen juramento iudici Austregarum adstringendo, quod omnia secreto & ex fide agere velint, id negotii committere potest. Examinatis testibus, depositiones obsignatæ ad iudicem mittendæ, qui postea publicabit, partibus concessa facultate duobus scriptis altero probationis, altero exceptionis super depositione testium intra quatuor septimanas disputandi, postea verò causa pro conclusa habetur.

Circa hunc Processum primo quæstio incidit, An Reconventio in eodem sit admittenda? Quæstionis hujus decisionem aliqui exinde deducere nituntur, an scilicet iudices Austregarum sint Ordinarii an delegati? illo præsupposito concedunt reconventionem, secus hoc casu. Minimè tamen hoc admittendum. Certissima enim sententia est, etiam coram iudice delegato Reconventionem sibi locum vindicare, quæ ipsa Jure Canon. comprobata. *c. r. §. 2. X. de mut. petit. cam. q.* abunde probat *Joh. Petr. Mollinat. Tr. de Reconvent. Q. 24. Hillig. in Don.*

lib. 17. c. 18. lit. M. Bernh. Ursin. de Reconu. c. 19. n. 8. Bacchov. in Trentl. V. 1. D. 25. ib. 13. lit. E. Quo concessio certior erit decisio etiam in Processu Austregarum admittendam esse Reconventionem. Dum enim & hic Principes, Ordinesque Imperii in agendo iudicium Austregarum arbitriū observant, merito eosdem contra se iudices habere in eodem negotio non dedignentur. *L. cum Papinianus 14. C. de Sentent. & interl.* insuper favorabilis est Reconventio & de genere permissorum, ut per consequens, ubi prohibita non est, ea utique sit admittenda; Imò in Processu Austregarum expressa concessio adest de Reconventionem admittenda. *O. C. P. 2. t. 4. §. 1. Et dann in fin.* ubi expressè dicitur Aber in obgemeldten Articuln sol das Widerrecht statt haben. Unde eo minus dubitandum. *Nicol. Myler. in add. ad Rumel. P. 2. Diss. 1. ad A. B. in append. ib. 6. Limn. de J. P. 1. 9. c. 5. n. 76.*

17 Non tamen omni casu in Processu Austregarum admittitur Reconventio, sed dantur casus excepti, ubi Reconventio locum non habet. In casibus verò exceptis determinandis non unanimes sunt Dd.; Alii unicum excipi debere, alii plures, dicunt. In specie verò in via septima & octava reconventionem cessare volunt, in reliquis admittunt. *Jac. Blum. Proc. Cam. tit. 27. n. 143.* quæ sententiam eo plausibilior est, quo expressis verbis probari videtur ex *O. C. P. 2. t. 4. d. §. 1.* Et dann/ ubi circa finem dicitur. Es soll in iegigen Nechsten zweyen vorgehenden Articuln keines Wiederrechten seyn. Exceptio verò firmat Regulam in casibus non exceptis, sicut hoc in jure tratitium est per *l. quæsitum 12. §. idem respondit 43. ff. de fund. instruct. vel instrum. leg.* Quicquid tamen sit de hac opinione, non peccavero, si unum casum generalem exceperim à Reconventionem, in reliquis verò admiserim: Casus ille exceptus erit; Quoties Processus Austregarum coram Consiliariis institutus est, toties reconventio cessabit.

18 Hujus generalis Exceptionis quatuor dabuntur exempla, ut (1.) Reconventio cesset, si coram novem Consiliariis processus instituat, quod prima via appellatur communiter: quorsum faciunt manifesta verba *O. C. P. 2. t. 4. §. 1.* dieselben neun Râthe ubi dicitur, Auch soll die klagende Partey nicht in Wiederrecht für die neun Râthe gezogen werden/ quæ verba evidentiora sunt. (2.) Si coram septem vel quinque Consiliariis Processus instituat, quod secunda via dicitur, cessabit itidem Reconventio; quamvis enim hoc in *d. t. 4. O. C. §. 1.* zum andern verbotenus expressum non sit, si mentem tamen Imperatoris inspe-

xeris

xeris, evidentissima res est. Quippe in d. §. zum andern/ tantum de numero Confiliariorum quid remittit Imperator, de modo verò procedendi nihil novi ibi disponit, sed ad primam viam se revocat, dum concepta dati §. verba ita sonant: die nach laut iestgemeldeter Ordnung (intelligit viam primam, ubi reconventionem prohibuerat) gleichermaßen die neun Räte zu handeln und zu sprechen Macht haben. Atqui dixeris, si hæc verba præcisè involvunt identitatem Processus cum prima via, etiam quoad prohibitionem reconventionis, in nullo casu istarum octo viarum locum habebit reconventio, cum & in cæteris viis ad primam se revocet Imperator. Sed salva res est, si modo collationem istarum viarum instituas. In prima & secunda via nihil dabis differentia, nisi quod minorem Confiliariorum numerum constituisse liceat, quoad cetera conveniunt exactè. Ast in tertia, quarta, quinta & sexta via multum differentia subesse, quilibet advertit. Planè enim singularis & à prima via diversus iudicem constituendi modus ibi proponitur, ut sic nec identitatem Processus ubique æqualem esse posse, facile liqueat. (3.) Cessabit reconventio in via septima. (4.) Cessabit in via octava, qui ultimi duo casus dubio omni carent, cum expresse eosdem Imperator à reconventionem exceperit.

Unicum adhuc dubium expediendum restabit, quod urget 19
Blum. Proc. Cam. d. l. n. 144 ubi tantum tertiam & quartam nostram exceptionem concedit, in reliquis omnibus reconventionem admittit; imò etiam in prima via, & per consequens multo magis in secunda. Quamvis enim in prima via Reconventio sit prohibita in *Ordin. Cam.* attamen hoc ipsum correctum esse per §. *So dann d. t. 4* ubi in omnibus casibus admittitur Reconventio, duobus tantum exceptis. Unde putat per inadvertentiam *Concipistæ* hoc nominatim non fuisse admonitum, quod in prima via hoc fuerit correctum. Sed non admitenda hæc Blumii opinio. Nam (1.) verba prohibita reconventionis in prima via admodum perspicua sunt, sicut ea præced. Posit. adduximus. (2.) Correctio in eodem titulo minime præsumenda. Nec (3.) *Concipistæ*, ut hac voce utar, quicquam imputari potest, cum dubium nullum sit, Ordinationem Cameralem, antequam publicata, toties à Viris doctissimis relectam fuisse, ut facile errorem hunc, si quis adfuisset corrigere potuissent. Insuper (4.) danda ratio est correctionis, si de expressa mente corrigentis non constet. Imò (5.) danda est diversitas realis inter primam & octavam viam, quæ vix apparebit,

rebit, sicut jam superius in Posit. X. circa fin. dictum. Itaque inter quoscunque modos diversitas realis ostendi nequit, inter eos nec contrarium jus contra expressa verba fingendum. Sed urget tamen Blumius verba finalia s. So dann / ubi Imperator duos tantum casus excipit, & generaliter subjicit Aber in den obgemeldeten Artickeln soll das Wiederrecht statt haben. Ergo ut superius dictum, Exceptio & hic regulam firmabit. Verum ad hoc quoque facilis est responsio: Regula enim hæc Exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis, procedit in casibus non similibus seu diversis exceptis: in casibus autem planè similibus exceptis, licet etiam non reperiantur alibi specificè excepti à jure, exceptio non firmat regulam. *Nicol. Everhard. Topic. Legal. Loc. 9. num. 5.* Hoc commodè hic applicari potest; Via enim prima à via octava non est diversa, sed similes sibi invicem, ut ita quod in una juris & in alia esse debebit, præsertim cum in via prima eadem quo ad verbum dispositio adsit de reconventionem non admittenda. Ergo respexit Imperator in verbis antea adductis ad vias illas, in quibus eadem iudices constituendi ratio non aderat.

20 Ex hisce jam patet, præter casus quatuor posit. XIIII. adductos Reconventionem in Processu Austregarum locum habere. Unde si Elector Electorem, vel alium principem in jus vocet coram Austregis, & invicem sibi alium Principem in iudicem elegerint, Reconventionem utique obtinere. Sed ne hæc sententia à contradictione immunis, dum oppugnatorem habet *Job. Sichardum in Com. Cod. ad L. Cum Papinianus 14. C. de sentent. & interloc. n. 9.* qui hoc utitur fundamento: Quando ambæ partes impetrant communi consensu aliquem delegatum super recerta vel causa, tunc coram illo delegato non habet locum Reconventio ob cessantem rationem *in d. l. cum Papinianus.* quod postea applicat ad casum nostrum. Dum enim in Ord. Cam. de hoc casu nihil expressè dispositum, ex jure communi negotium determinandum esse dicit. Sed quod hanc opinionem attinet, nondum concesserim, coram iudice utriusque litigantis suffragio recepto, reconventionem locum non habere, quamvis hoc haut pauci asserant. *Bartol. ad d. l. cum Papinianus Wurmser. lib. 1. tit. 12. Obs. 3. Petr. Barbos. ad L. 29. n. 42. g. de judic. Molignat. de Reconvent. Q. 24. in fin.* Non enim ratio *d. l. cum Papinianus*, hic simpliciter cessat, sed & ille actorem eligere censetur, qui cum alio eligit, *l. 1. § 2. ff. de judic.* quod

quod evidentius adhuc probat *l. i. C. de juris dict.* Ergo quamvis iudex utraque parte consentiente electus, actor verò à reo conventus exceptionem fori declinatoriam opponere velit, attamen obstabit adhuc ratio *L. cum Papinianus.* Tu hunc elegisti iudicem ut pro te iudicaret, ergò eundem repudiare jam non poteris; Et quamvis eundem non solus eligat Actor, tamen & qui cum alio eligit, elegisse censetur *L. i. C. de Jurisd.* Quod uberius deducit *Bernh. Ursin. de Reconvent. cap. 20. num. 8. & seq.* cui sententiæ adstipulantur *Hillig. in Don. lib. 17. c. 18. lit. m. Theoph. Gisebert. de Reconvent. c. 25. num. 4. Menoch. A. J. Q. lib. 1. quest. 44. num. 6.* Quod multò magis sibi locum vindicabit in Processu Austregarum: Hic enim iudicis Electio non à libera & simplici voluntate actoris dependet, sed ex præscripto Legis Imperialis.

Cæterùm quid si Princeps immediatus à Cive Imperii mediato coram Austregis conventus fuerit, annon & ita locus erit Reconventioni? Dubitari poterat exinde, quia civis mediatus planè forum coram Austregis non fortitur, Ergo nec ibi reconveniri poterit. Sed imbellis consequentia est: Quippe hic ordinarius Reconventionis effectus est, utut actorem in reconventionem subiciat iudici non suo, sed incompetenti. *Bernh. Ursin. d. Tr. c. 27. num. 11.* Ergo sic mediatus quoque civis, quod forum non fortitur ex persona sua, attamen ex natura reconventionis fortietur *arg. l. 2. §. 5. vers. sed & si agant ff. de iudic.* Pro quâ decisione facit textus evidens in *O. C. P. 2. t. 4. §. fin.* Ubi eadem octo viæ *d. t. 4.* præscriptæ locum habent, si mediatus Principem conveniat. Jam verò in illis viis reconventio manifestò concessa aliquibus exceptis, ergò hæc ipsa reconventio ad immediatos restringi nequit, sed ad mediatos quoque coram Austregis Processur instituentes, extendenda. *Ursin. d. c. 27. n. 32.*

Quæ verò de Reconventionem in Processu Austregarum licita hæctenus dicta, non sine limitatione dimittenda, sed ita restringenda; Modo causa, ob quam Reconventio instituta, ex certa quadam ratione ac qualitate forum Austregarum non respuat. Quamvis enim incompetencia fori ratione personæ, reconventionem admittat, incompetencia tamen causæ utique reconventioni obstabit. Hinc Clericus coram iudice seculari aliquem conveniens, ab eodem iterum reconveniri potest, obstante privilegio fori ratione personæ, quæ sententia communis est ac in praxi recepta *Zanger. de Except. P. 2. cap. 1.*

n. 380. Theophil. Gisebert. de Reconvent. cap. 11. num. 4. seqq. Hillig. in Don. l. 17. c. 18. lit. m. Mollinat. de Reconvent. Q. 32. Si tamen conventus à Clerico coram iudice seculari, eundem de causa spirituali reconvenire vellet, hoc non permittendum. Ursinus d. Tr. c. 29. num. 16. seqq. Zanger. d. n. 380. Cujus rationem in regula illa collocant Dd. communiter: De quacunque causa ob specialem suam qualitatem iudex cognoscere non potest per modum conventionis, de ea nec cognitionem habet per modum reconventionis. Robert. Maranta in specul. P. 4. dist. 6. Judic. Q. 2. principal. num. 33. Zanger. d. l. n. 378. Unde non dubitandum de illis causis, quæ ex speciali ratione, quæ ad conventionem ad Forum Austregarum non spectant, easdem nec reconventioni in eodem foro obnoxias esse.

23 Ex his verò jamjam præsuppositis quæstio sequens decidenda erit; An reconventio in Processu Austregarum fieri possit, in causis Feudalibus regalem dignitatem annexam habentibus. Operosus est in hac quæstione Nicol. Myler. in add. ad Rumelin. P. 2. diff. 1. coroll. 6. quam à nullo antea discussam dicit. In eam vero inclinat sententiam, etiam de feudo regali coram Austregis reconventionem institui posse. Rationibus pro stabilienda sua sententia utitur sequentibus (1.) Hunc casum jure feudali vel constitutionibus Imperii expressè decisum non esse, Ergo standum juri civili. (2.) Constitutiones Imperii & jus feudale quoque admittere Reconventionem. (3.) Reconventionem id operari ut causæ alioquin iudicis jurisdictioni exemptæ nihilominus coram eo iudice ventilari possint. (4.) Præjudicium allegat.

24 Sed vix est ut calculum hac in parte mereatur Mylerus, *Primam* enim rationem negamus manifestò, nihil hac de re constitutionibus Imperii dispositum esse, quippe evidentior textus est in *O. C. P. 2. t. 7.* quam ut Reconventionem in feudo Regali admittat, dum soli Imperatori ejus cognitionem adscribit: Ergo ratiocinium certissimum: De quo soli Imperatori cognoscere datum, de eo iudices Austregarum cognoscere minime possunt. Et quamvis ad hoc regerat Mylerus, hunc casum exceptum non esse, ergo standum juri communi. Respondeo enim, satis exceptus est per *d. t. 7.* materiam Austregarum mox insequentem. Qui titulus si penitus inspiciatur, exceptio incurret in oculos ob verba illa *d. t. 7. jedoch in andern Sachen dieser Ordnung unabbrüchig.* Ergo quoad feuda Regalia exceptionem constituit

tuit Imperator. *Secunda* ratio etsi negari nequeat, malè tamen inde infertur: Si Jura Feudalia & Constitutiones Imperii admittunt reconventionem, Ergo etiam de feudo Regali ea institui potest. Non enim simpliciter Reconventio admittitur, sed eatenus, quatenus facultas judicis, vel causæ qualitas non repugnaverit. *Tertiam* rationem manifestò negamus, si eam de causa speciatim privilegiata, qualis est cognitio de feudis Regalibus, velit intellectam. *Quartò* verò dum præjudicii verba non habet, nec Responsione opus erit. Uti verò ex allegatione ibi facta apparet, vix in dicto præjudicio de feudo Regali controversia fuit. Stabit ergo firma decisio, hanc reconventionem minime admittendam esse ob regulam *Posit. 22.* adductam. Cui quamvis respondere conetur Mylerus, vix tamen eandem movebit, cum rationes in contrarium adductæ primo obtutu ruinam propriam minitentur: Ergo quo fufius huic negotio immoremur, nec pretium operæ est, nec brevitatis studium permittit.

Porro circa processum Austregarum quæritur, An prorogatio in eo admittenda? Negat hoc *Vultej. ad L. 1. C. ubi Senat. vel clarissim. n. 86. Bocerus de Jurisdic. c. 7. n. 26. Ummius de Proc. D. 4. th. 39. in fin.* Rationem in eo collocant, quia Austregarum judicium ex singulari gratia Statibus Imperii concessum, ut si ibi prorogatio admittatur, id, si non contra, saltem præter Imperatoris & reliquorum Imperii Statutum intentionem fiat. Attamen si Hypothesin superius propositam, sc. jurisdictionem Austregarum Ordinariam esse attendamus, non video, quid prorogationi impedimento esse possit: Prorogatio enim nihil aliud est, quam jurisdictionis Ordinariæ ad alias causas à partibus facta extensio *L. 1. C. de Jurisdic. quæ extensio privatis litigantibus jure communi concessa. 3. C. eod. L. 1. ff. de judic.* Quidni ergo in Processu Austregarum ad jus commune recurrendum, dum Lege Imperii nihil diversi statutum videmus. Imo *Vultejus ipse d. l. n. 85.* licet prorogationem alioquin neget, eam tamen concedere cogitur, quæ vocatur de Tempore ad Tempus, eamque usu servari testatur. Quanquam alibi præfatam prorogationem concedere nolint, propterea quod lapso tempore expiraverit jurisdictionis, ideoque amplius prorogari non possit. *Bernh. Satholt. de Jurisdic. th. 374. Hillig. in Don. l. 17. c. 10. lit. P.* attamen quia eadem prorogatio in jure fundamento omni non destituitur. *L. 2. §. 2. ff. de judic.* insuper jure Canon. expresse comprobata *in c. de causis 4. X. de offic. & pot. jud. deleg.* meritò tolerari potest.

potest. Si verò prorogatio de tempore ad Tempus in Processu Austregarum admittitur, quid obstaculo erit, quo minus prorogatio & de causa ad causam sibi locum vindicet. Nec quicquam in contrarium facit, quod hoc forum ex singulari gratiâ Statibus Imperii concessum: Hæc enim gratia ipsis non adimitur, per prorogationis concessionem, quippe prorogatio libera est litigantibus & in eorum voluntate consistit, ut hinc nec menti Imperatoris repugnare videatur, qui quidem in gratiam Statuum Austregarum iudicibus concessit jurisdictionem, ea verò quæ ex libertate juris communis litigantibus competebant, Ordinibus minimè ademit.

26. Cæterum quod de prorogatione illa, quæ de causa ad causam vocatur, dicebam eandem in Processu Austregarum admittendam esse, generaliter limitandum, modo causa sit prorogabilis, id est, modo sit in arbitrio prorogantium *Sutholt. d. l. th. 376.* Et sic per consequentiam, ut iudex coram quo prorogatio fit, habeat quoque facultatem de tali causa cognoscendi. Nam prorogatio tantum fieri debet in causis his, quæ sunt ejusdem naturæ & formæ: Et ut fiat prorogatio, similitudo potestatis requiritur *Bartol. in L. inter consentientes ff. ad Municip. Tob. Pauernmeister. de jurisdic. lib. 1. cap. 25. num. 37.* Hinc jurisdictio Austregarum ad Feuda regalia prorogari nequit, per ea quæ *Posit. 23. & seqq. dicta;* sicut nec causa criminalis prorogationem hoc casu admittet, cum & ea privatorum arbitrio exempta *l. 32. §. 6. ff. de Recept. arbit.* Et Austregarum jurisdictio ad eandem se non extendat *Reinking. de R. S. & E. l. 2. class. 2. c. 16. n. 24.*

27. Reliqua quæ ad Processum Austregarum spectant perspicua sunt in Ordin. Can. & imò digito tetigimus ea *Posit. 15.* ideoque nolimus iisdem enarrandis immorari, nec formulas citationum aliasve huc referre lubet, ne præter institutum prolixiores simus. Cui volupe est hac de re legere adeat *Schwanmannum* in Processu locis sæpius allegatis. De tempore Processum Austregarum finiendi paucis dicendum. Expressum hoc est in *O. C. P. 2. t. 4. §. dieselbe/* ubi dimidium anni spatium statutum, vel ex causis justis ac evidentibus, annis & dies innerhalb Jahr und Tag. *Limn. de J. P. l. 9. c. 5. num. 40. in fin.* An tamen hic sex septimanæ anno superaddendæ, sicut jure Saxon. hoc obtinet *Landrecht. lib. 1. art. 38. in pr. Carpz. P. 3. C. 50. d. 2. num. 2.* An verò hoc tempus propriè computandum, dubitari poterat? Sed verius est, hic Saxoniam computationem, non esse admittendam;

Credi-

Credibile enim non est Imperatorem in Lege Imperii ferenda, juri Saxonico se attemperare voluisse. Deinde vero in locis aliis anni simpliciter tantum fit mentio, ut sic non ulterius hoc spatium extendendum. *Blum. Proc. Cam. tit. 27. n. III.*

Sed à quo tempore computatio hujus anni inchoanda, numne 28
à tempore petitorum judicum, id est, ubi Princeps Principem interpellat, ut sibi alios Principes nominet, ex quibus unum sibi in judicem eligere possit; An verò à tempore realiter institutæ actionis? Et hoc posterius affirmandum ob expressa verba *O. C. p. 2. t. 4.* dieselbe/ubi dicitur: und sol solch Recht/ von dem Gerichtstage anzurechnen/ als die Klage ins Gericht gebracht wird/ in nachfolgenden halben Jahr zu Ende kommen. Cæterum quamvis saluberrimo consilio annum spatium Processui Austregarum finiendo præfiniverit Imperator, causæ tamen in judicium deductæ qualitas brevioris cognitionem haud rarò respuit, dum vel ex variis conjecturis eruenda veritas vel testium remotiorum examina interdum obstaculo sunt, vel punctorum incidentium decisio sæpius remoram injicit, ideoq; annum illud spatium adeo præcisè non observatur, & hinc sententia definitiva post annum, tanquam post terminum instantiæ lata, non est nulla sicut hoc præjudiciis probat *Petr. Frid. Mindan. de Process. c. 19. num. 9. Blum. d. l. n. 112.*

Quid verò si contumacia commissa fuerit in Processu Austrega- 29
rum, quomodo ea vindicanda? Hujus quoque quæstionis decisio adest in *O. C. p. 2. t. 2. §. fin.*, his verbis: So aber der Antwörter die Benennung der Churfürsten/ Fürsten oder Fürstnäßigen in obbestimmter Zeit nicht thät/ oder dem/ so obstehet/ nicht nachfolget/ so sol er dem Kläger um seine Forderung vor dem Kayserslichen Cammer- Gerichts fürderlichs Rechtens pflegen. Idem repetitur in *tit. 4. §. dieselbe in fin.* Unde patet pœnam contumaciæ Ordinariam hic esse, amissionem instantiæ, ut contumax reus amplius ad forum Austregarum provocare nequeat, sed statim causa ad Cameram devolvatur *Petr. Frider. d. c. 19. num. 7.* Si verò actor contumax existat, & litem prosequi nolit, non dubitarem, quin judici Austregarum competat hac ratione facultas *μovoμepōs* procedendi, sicut hæc potestas jure communi judici concessa per *Nov. 112. c. 3.* & inde excerptam *Auth. Qui semel C. quom. & quand. jud.* Et ita Processus Austregarum quoque aliquando unilateralis erit. Si demum ipse Judex Austregarum moras in cognoscendo

scendo neētat, sine dubio quærela denegatæ justitiæ in Camera contra eundem institui potest *Petr. Frider. d. l. n. 9.*

30 Jam de sumptibus in Processum Austregarum impendendis dicere restat; An scil. utraque pars sumptus ferre debeat, an verò solus Reus? Et disting. puto inter sumptus impensos in ipsum Processum E. gr. in Advocatos Procuratores, in Citationes & Copias, & inter sumptus factos in iudices Ordinationis seu Austregarum. Quoad illos peculiare nihil constitutum jure Camerali, & sic jus commune sibi locum vindicat. Hinc actor non tantum suis sumptibus comparere, sed & suis Advocatis ipse salarium præbere cogitur, *arg. O. C. P. 2. r. 8. §. wie auch der Kläger.* Sicut & hoc verosimile videtur, victum, etiam in Processu Austregarum in expensas condemnandum esse, si justam litigandi causam non habuerit, sicut hoc jure communi dispositum *§. 1. inf. §. de pœn. temer. litig. l. pen. C. de fruct. & lit. expens. Jac. Blum. Process. Cam. tit. 27. n. 107.*

31 Alia ratio est sumptuum in ipsos iudices Austregarum impendendorum, in *Verpflegung der Austrägs-Richter*: Videbatur hic Regula constituenda, quod reus in iudicio Austregarum conventus hos sumptus ferre teneatur per *O. C. P. 2. r. 4. §. und sollen.* Ubi Electores conventi Consiliariis suis ipsi sumptus subministrare debent. Sed vix putarem, rationem decisionis in d. §. latitare in eo, quia Elector reus est, nam sic omni casu Reus teneretur ad sumptus suppeditandos, quod tamen non est, per *d. t. 4. §. zum Sechsten.* Nam ibi si ab utraque parte actoris sc. & rei duo Viri egregii iudices constituantur, sumptus ab utraque parte æqualiter ferendi, *auff gemeinen Kosten.* sicut in fine illius §. expressè decisum. Ergo dicerem adhuc; Sumptus regulariter esse communes, nisi (1.) Commissarius à Cæsare impetratus, hic enim sumptibus impetrantis constituendus videtur *Blum. d. t. 27. n. 162.* sed de eo merito dubitamus. Vel (2.) nisi Princeps coram suis Consiliariis conveniatur, ita enim Princeps ipse sustinere impensas debet *O. C. P. 2. r. 6. §. Es sollen.* Partim ob comoditatem quam habet Princeps conventus, dum ad extraneum locum se conferre non tenetur, sed coram propriis Consiliariis litem, etiam in sua Residentia prosequi potest. Actori vero hoc gravius est, qui in loco iudicii quasi peregrinus, ut sic in uno gravatus, in alio sublevari debeat. Partim verò ob faciliorem sustentationem, dum Princeps hoc casu propriis Consiliariis

riis tantum sumptuum subministrare non tenetur, quam Extraneus, cum alioqui ab illo Ordinaria salaria habeant.

Sed quid de impensis factis in iudicio Austregarum Conventionalium? Vel ut specialius quæsitum formera, hunc casum exempli loco proponam. Principi alicui lis est cum Civitate sibi subdita, convenire vult eandem, ergo regulariter hoc in Foro Austregarum fieri non debet, sed statim in Camera Imperiali actio instituenda *Ilic. Ummius de Process. D. 4. th. 48. in fin. Hartm. Hartmanni Tit. 1. de iudic. obs. 1. in additam. n. 7.* ubi præjudicium habet inter Archi-Episcopum Moguntinum & Civitatem Erphordensem. Quid ergo si Princeps cum tali Civitate conveniat, se velle hanc litem coram suis Consiliariis intentare: Et Civitas consentiat. Quæritur quis impensas Consiliariis erogare debeat? Contra Principem facere poterat, quod lis coram ipsius Consiliariis peragatur, itaque ipse sumptus ferre debebit, vigore O. C.; Et deinde etiam: quia Princeps inde commodum sentit, sicut Posit. præced dictum. Contra Civitatem facit, quod illa conveniatur & rea sit, jam verò reo competit onus sustentandi iudices ordinationis, nam in Ord. Cam. de Principe convento agitur. Deinde quia Civitas potissimum commodum sentit, dum duplicem hac ratione instantiam nanciscitur, quæ alioqui in Camera statim erat convenienda. Mediam tamen sententiam æquitati convenientissimam existimo, sumptus ab utraque parte æqualiter præstandos. Præsuppono autem hunc casum non spectare ad Austregas privilegiatas, sed conventionales; Nam non ex juris Cameralis dispositione, sed sola conventionione dependet. Hinc etiam hic casus ex Ordin. Camerali minimè decidendus, sed ex ratione juris communis; Qui enim arbitros eligunt, sine dubio ab utraque parte præstabunt impensas: Ab arbitris verò ad Austregas conventionales procedit argumentum. Non ergo attendendum quis actor, quis reus sit, sed utriusque hoc casu est æqualis ratio. Deinde nec utilitas sola hic spectat ad civitatem conventam, sed & ipse Princeps actor comodum inde sentit, dum & facilius expedire negotium & minoribus sumptibus potest. Imò etsi contra Principem actorem feratur sententia, ipse quoque per appellationem ad Cameram Beneficii secundæ instantiæ particeps erit. Sicut ergo in Camera si litem instituisset Princeps, ex sua parte sumptus ferre debuisset, & civitas quoque suam partem. Sic si conventionione mutua in alios iudices com-

pro-

promittant, injuste gravaretur una pars, si sola sumptus deberet sustinere. Quod si tamen ad desiderium Civitatis Princeps Judicium Austregarium constituat, sumptus Civitati petenti merito incumbunt, sicuti speciali consilio deduximus, quod extat inter *Consil. Brunnemanni Num. 126.* pro qua opinione tandem lata est sententia in ipso foro Austregarum, ad Consilium Jctorum Chiloniensium quæ sententia pariter videri poterit inter *Consil. Brunnem. A. 137.*

33 Processu itaque Austregarum ad conclusionem in causa deducto, sententia ferenda à judicibus electis. Et quidem vel ipsi ex fide sua judicare poterunt; Vel etiam desiderantibus hoc partibus, acta ad quandam Academiam probatam, ut ibi concipiatur sententia, transmittere possunt. conceptam verò sententiam judices suo nomine publicare debent. *Blum. Process. Cam. t. 27. num. 138.* Quanquam hos judices Austregarum ad transmissionem actorum, si ipsi sententiam ferre velint, à partibus compelli non possint, ut rectè notat *Blum. d. l. num. 139.* Exemplum hujus sententiæ vid. *ap. Dn. Brunnemann. Consil. 137.*

34 Publicata itaque sententia à Judicibus Austregarum, non statim eadem Executioni mandanda; sed & hic decendii spatium litigantibus jure communi post sententiam concessum *Nov. 23. c. 1. & Auth. Hodie C. de Appellat.* non denegandum, ut, interim deliberent, an stare Sententiæ à Judicibus Austregarum latæ, an verò appellando jura sua prosequi velint. Concessa est enim omni casu appellatio à Foro Austregarum ad Cameram Imperialem per expressa verba *Ord. Cam. p. 2. t. 6.* Es soll auch in allen vorgemeldeten Articeln / jedem Theil an das Kaysersliche Cammergericht zu appelliren zugelassen seyn. Hæc enim primaria intentio fuit concessi judicii Austregarum, ut ita Ordines Imperii in una instantia læsi, in altera mediante appellatione, jus suum melius prosequi possent.

35 Quamvis verò jure communi appellantis uberrime provisum per remedium illud famosum *L. per hanc 4. C. de Tempor. appell.* ubi nondum allegata allegare, & nondum probata probare in instantia Appellationis licet. Quia tamen sæpius sub hoc colore prolixior Processus Austregarum reddi solet, saluberrimè ambagibus ejusmodi obviam itum in *Ord. Cam. d. P. 2. t. 6. pr.* ubi statutum, quod si à Sententia in Foro Austregarum lata appellatum fuerit, in Camera nihil novi proponendum, nisi quid novi propositurus, sub fide juramenti

menti asseruerit, se antea horum notitiam non habuisse, & se credere hæc à se proponenda, ad causæ suæ iustitiam summopere conductura. Idem hoc iuramentum postea generaliter ad omnes appellationes traductum, ut ita semper appellans quid novi propositurus, se ipsum ad iuramentum offerre teneatur, sicut hoc dispositum in Recessu Imperii nunquam satis laudando *de Anno 1654. §. wie ebenmäßsig bey dem Anschlag.*

Cæterum hæc appellatio ad Cameram non tantum ab Austregis Ordinationis seu privilegiatis, sed etiam ab Austregis Conventionalibus locum habet. Hæ enim ex confirmatione Imperatoria parem auctoritatem habent, quam privilegiatæ: ideoque non ad has, tanquam pares, sed ad Cameram, tanquam superiorem appellandum *Blum. P.C. tit. 27. num. 202.* Ast dixeris; Austregæ Conventionales arbitrio comparantur, ab hoc verò sicut jure appellatio prohibetur *L. 1. C. de Recept. Arbitr.* ita nec in illis permittenda. Sed in Austregis hoc casu aliquid diversitatis subest. Hic enim consentiunt partes litigantes, ut in iudicem certum, ut ex jure & legibus juxta fidem actorum pronunciet. Ergò ita appellatio concedenda *arg. l. 23. pr. ff. de appell.* Alia ratio in arbitrio, qui non prout lex suadet, sed pro ut humanitas suggerit, sententiam suam moderatur *Hillig. in Don. l. 28. c. ult. lit. c.* Imò dum Imperator Austregis Conventionalibus parem cum privilegiatis auctoritatem tribuit *O.C.P. 2. r. 2. pr.* sine dubio ad illas quoque appellationem voluit extensam, quam omni casu locum habere voluit *O.C.P. 2. r. 6. pr.*

Ultimo loco quoad Processum Austregarum videndum, cui Executio Sententiæ competat, an ipsis iudicibus Austregarum, an Camera Imperiali? Et Austregis eandem competere verius existimamus. Si enim jurisdictio Ordinaria iisdem competit, prout superius evictum, nil rationis subesse video, quare facultas Sententiam Executioni mandandi iisdem sit deneganda. Imò etiam si adversantium opinionem admittamus: Delegatam Austregarum jurisditionem esse, ad hunc tamen Executio ipsis minimè deneganda. Nam & delegatum Principis sententiam à se latam Executioni mandare posse, jure Canonico dubitandum non est ob *c. 6. 26. & 28. X. de offic. jud. delegat. Jacob. Menoch. A. J. Q. lib. 1. Q. 74. num. 48.* Deinde expressa concessio Executionis adest in *Ord. Cam. P. 2. r. 4. zum Achten.* Ubi dicitur: *Vor denen neun die Hauptsach und Execution in erster instantz gehöret;*

ret; quæ ipsa verba præfatam opinionem abunde probant *Schubhard. diff. de Austreg. th. 7. lit. C.*

38 Secedunt tamen ab hac opinione Dd. alii, Executionem sententiæ in Foro Austregarum latæ, Camera Imperiali tribuentes *Gail. l. 1. obs. 1. n. 52. Petr. Frid. Mindan. de Proc. l. 1. c. 19. n. 1. Mynsing. Cent. 4. obs. 93.* In specie verò *Jacob. Blum. Proc. Cam. tit. 27. n. 205.* rationes antea adductas refutat. Ad primam respondet; Possè Principem tam ordinario quam delegato suo causæ cognitionem committere reservata sibi executione. Ergo quia Austregis executio expressè non concessa, sibi ac Camera eandem reservasse censetur Imperator. Sed ut manifestò apparet, connexionis vitio laborat hæc responsio. Concedamus posse Principem ita concedere causæ cognitionem, servata sibi Executione; Ergone inferendum: Princeps itaque in dubio id fecisse præsumitur. Potius præsumendum illud, quod ordinariè contingere solet, sc. data jurisdictione & executionem datam esse *arg. l. 2. ff. de Jurisdic.* quod si alter Executionem reservatam esse dicat, sine dubio probationis oneri se subjiciet.

39 Quod verò ad secundum respondere voluit Blumius id violentiam sapit manifestam. Dum enim videt in Ord. Cam. citato loco, expressè Executionem Judicibus Austregarum commissam esse, ad textus correctionem confugit, pro voce *Execution* substituendo *Exception*, alioqui absurdum illius textus existiturum intellectum. Sed uti in dubio à textus correctione summopere abstinendum; ita multò minus hoc casu eo confugiendum, cum jam tum in *O. C. de Anno 1521. art. ult. §. zum Achten.* Eadem lectio reperiat, quæ sine dubio si hoc enorme vitium contineret, correctæ fuisset in repetita Ordinatio Camerali. Nec absurdus adeò est intellectus, ut Blumio videtur, sed si stylum in Recessibus Imperii attendamus, evidens est, sc. quod non tantum super ipsa causa cognosci debeat, sed & super executione, an & quomodo ea decernenda. Sed quorsum ultimo loco confugit Blumius verbum executionis pro examinatione capiens, id si tautologiam in Ord. Cam. non involvit, absurditatis tamen vitium haud evitabit.

40 Pro Coronide hoc subjicimus. Processum Austregarum adeò privilegiatum esse, ut non liceat Imperatori causas huc spectantes in prima instantia ad se trahere, easdemque in judicio suo Aulico ventilare; *Dasß der Reichshoff Rath die Austräge nicht vorbey gehen*

fōnne/ quod tamen vult *Tob. Paurmeist. de Jurisdic. lib. 2. s. 4. n. 133. seqq.*
 Ex hac ratione, quod Imp. Austregis Jurisdictionem concedendo,
 se eadem privasse non præsumatur. Sed sine dubio otiosum hac ra-
 tione foret Privilegium; si ab Austregis pro lubitu causas Imperator
 avocare, vel plane neglectis statim in prima instantia cognoscere pos-
 set; Cum tamen alias privilegia ratione concedentis latissimè expli-
 canda. Insuper Privilegium Austregarum reciproca quadam & Im-
 peratoris & Statuum Imperii conventionione constitutum, ut ita Imp.
 non liceat Austregas pro lubitu negligere, quod ex generali clausula
Ordinat. Cameral. P. 3. ult. §. 5. & solches alles / abundè patet, per verba
ibi posita, haben wir uns solches alles also zu halten / und zu vollenziehen /
vereiniget und verglichen / Henric. à Rosenhal. de Feud. c. 12. Conclus. 1. n. 35.
 Et ne in hac decisione dubii quid remaneat, testimonium adduco
 Imp. Matthiæ, qui Anno 1614. mens. August. Senatui Aulico expref-
 sè mandavit, ut quam maximè in judicando Privilegium Ordinum
 primæ instantiæ attendat; Verba concepta vide sis apud *Limnaeum de*
I. P. lib. 9. c. 5. num. 37. Conf. Rumelin. ad A. B. P. 2. Diss. 1. Corollar. 2. &
ibi Myler. in addit. Cætera quæ circa Processum Austregarum mone-
 ri poterant, ut hic adducamus, brevitatis studium non per-
 mittit, hinc portum assecuti, devoto pectore
 nuncupamus

SOLI DEO GLORIAM.



AK 77 3470

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

SOLI DEO GLORIA



Handwritten signature or initials in blue ink, possibly reading 'Korn'.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

